

talis, idque manifestum est ex thesi 3. in qua probatum dedimus animam non esse accidens, sed substantiam.

§. 6. Differentiam animæ absolvunt verba proximè sequentia, cum dicitur, quod anima sit actus primus σώματος φυσικῆ τῆ δυνάμει ζῶν ἔχοντος; quibus verbis materia seu subjectum animæ in genere sic dictæ exprimitur, quod est corpus φυσικόν seu naturale, ut excludatur corpus artificiale, quod, quatenus est artificiale, non informatur ab anima, sed ab artifice formam suam externam accipit. Nam quia anima est actus substantialis *Physicus*, ideo, ut materia actui suo correspondeat corpus quoque *physicum* & naturale esse debet, quod tanquam materiam informet anima. Deinde removetur per hanc particulam corpus *mathematicum*, quod nihil aliud est, quam trina dimensio, longitudo, latitudo & profunditas, non comprehensio subjecto, & hoc non est substantia, sed accidens; ad istud verò animam non pertinere perpalam est. Per corpus *physicum* verò seu naturale intelligitur corpus *organicum*, quod nempe certa organa ad functiones animæ in corpore obeundas habet: Organicum enim, inquit Zabarella in lib. 2. de Anim. ad text. 6. p. 136. significat id, quod distinctas habet partes instrumentales seu variis instrumentis præditum est, hocque declarat Stagirita in text. cit. exemplo plantæ, in qua est radix, quæ est instrumentum per quod attrahitur alimentum non secus atque per suum os animal accipere solet alimentum. Confer Scaligerum exerc. 140. f. 2. Ex his (quod ὡς ἐν παραδείῳ monemus) colligitur, metalla, lapides & alia corpora similia non esse animata, quia videlicet non sunt organica, sed corpora similia & homogenea.

§. 7. Quandoquidem autem corpus *organicum* duobus accipi potest modis (1.) pro altera parte corporis animati, quæ se habet instar materiæ. (2.) pro toto corpore animato ex anima & alterâ illâ parte tanquam materiâ constanti. Hinc quo sensu in data definitione Philosophi corpus φυσικόν seu *organicum* sit accipiendum, dissentiunt Auctores.

res.